

DIE XXV. SEPTEMBRIS.

S. THOMÆ DE VILLANOVA EPISCOPI ET CONFESS.

DUPLEX.

Oratio.

DEUS, qui beátum Thomam Pontíficem insígnis in páuperes misericórdiae virtúte decorásti : quæsumus ut ejus intercessióne & in omnes, qui te deprecántur, divítias misericórdiae tuæ benígnus effúndas : Per.

DIE XXVI. SEPTEMBRIS.

B. DALMATII MONERII CONF. ORD. PRÆD.

DUPLEX.

Oratio.

DEUS, qui húmilem fámulum tuum Dalmátiū multis signis atque virtútibus decorásti & ac mirabiliter in tuo amóre, spretis temporálibus, inflammásti : tríbue nobis, quæsumus, ut ejus intercessióne a terrénis afféctibus expedití, et a cunctis adversitatibus liberáti & sola cælestia appetámus : Per.

DIE XXVII. SEPTEMBRIS.

SS. COSMÆ ET DAMIANI MARTYRUM.

SIMPLEX.

Oratio.

PRÆSTA, quæsumus omnípotens Deus : ut qui sanctórum Mártyrum tuórum Cosmæ et Damiáni natalitia cólimus & a cunctis malis imminéntibus eórum intercessiónibus liberémur : Per.

DIE XXVIII. SEPTEMBRIS.

S. JOSEPHI A CUPERTINO CONFESSORIS.

DUPLEX.

Oratio.

DEUS, qui ad unigénitum Fílium tuum, exaltátum a terra, ómnia tráhere disposuísti : pérfice propítius ut, méritis et exémplo seraphici Confessóris tui Joséphi, supra terrénas omnes cupidítates eleváti & ad eum perveníre mereámur : Qui tecum vivit.

In j. Vesperis Memoria S. Venceslai Martyris.